

PRUDENCE

HAMARTIGENIA (1029 vers)

PRAEFATIO

H1 v.1 Fratres ephebi, fossor et pastor, duo,
 2 quos feminarum prima primos procreat,
 3 sistunt ad aram de laborum fructibus
 4 Deo sacranda munerum primordia.
 5 Hic terrulentis, ille vivis fungitur ;
 6 certante voto discrepantes immolant,
 7 fetum bidentis alter, ast alter scrobis.
 8 Deus minoris comprobavit hostiam,
 9 rejecit illam, quam paravit grandior.
 10 Vox ecce summo missa persultat throno :
 11 " Cain, quiesce ; namque si recte offeras,
 12 oblata nec tu lege recta dividias,
 13 perversa nigram vota culpam traxerint. "
 14 Armat deinde parricidalem manum
 15 frater probatae sanctitatis aemulus ;
 16 germana curvo colla frangit sarculo ;
 17 mundum recentem caede tinguit inopia,
 18 sero expiandum, jam senescentem, sacro
 19 cruore Christi, quo peremptor concidit.
 20 Mors prima coepit innocentis vulnere,
 21 cessit deinde vulnerato innoxio ;
 22 per crimen orta, dissoluta est criminis,
 23 Abel quod ante perculit, Christum dehinc,
 24 finita et ipsa est finis exsortem petens.
 25 Ergo ex futuris prisca coepit fabula,
 26 factoque primo res notata est ultima,
 27 ut ille mortis inchoator rusticus,
 28 insulsa terrae deferens libamina
 29 Deumque rerum mortuarum deputans,
 30 rastris redacta digna sacris crederet,
 31 viventis atrox aemulator hostiae.
 32 Agnosco nempe quem figura haec denotet,
 33 quis fratricida, quis peremptor invidus
 34 prave sacrorum disciplinam dividat,
 35 mactare dum se vota censem rectius :
 36 Marcion, arvi forma corruptissimi,
 37 docet Duitas disprecare a spiritu,
 38 contaminatae dona carnis offerens
 39 et segregatim numen aeternum colens.
 40 Qui si quiescat nec monentem neglegat,
 41 pacem quieta diligat germanitas
 42 unum atque vivum fassa vivorum Deum.
 43 Hic, se caduco dedicans mysterio,
 44 summam profanus dividit substantiam ;
 45 malum bonumque ceu duorum separans
 46 regnum deorum, sceptra committit duo,
 47 Deum esse credens, quem fatetur pessimum.
 48 Cain cruentus, unitatis invidus,

49 mundi colonus, immolator squalidus,
 50 cuius litamen sordet et terram sapit,
 51 terram caduci corporis, venam putrem,
 52 umore denso conglobatam et pulvere,
 53 natura cuius fraude floret fertili,
 54 fecunda fundens noxiorum crimina,
 55 animaeque vitam labe carnis enecat.
 56 Caro in sororem tela mentem dirigit ;
 57 meus in cerebro ventilatur ebrio,
 58 ex quo furores succulentos conligit
 59 madens veneno corporis lymphatico.
 60 Deum perennem findit in duos deos,
 61 audet secare numen insecabile ;
 62 cadit perempta denegans unum deum ;
 63 Cain triumphat morte fratris halitus.

HAMARTIGENIA

H2 v.1 Quo te praecipitat rabies tua, perfide Cain,
 2 divisor blasphemie Dei ? Tibi conditor unus
 3 non liquet et bifidae caligant nubila lucis ?
 4 Insincera acies duo per divortia semper
 5 spargitur in geminis visum frustrata figuris.
 6 Terrarum tibi forma duplex obliudit, ut excors
 7 dividuum regnare deum super aethera credas.
 8 Bina boni atque mali glomerat discrimina sordens
 9 hic mundus, domino sed caelum obtemperat uni.
 10 Non idcirco duos retinent caelestia reges,
 11 quod duo sunt opera humanas agitantia curas.
 12 Exterior, terrenus homo est, qui talia cernens
 13 conicit esse duo variarum numina rerum.
 14 Dum putat esse deum, qui prava effinxerit olim,
 15 et qui recta itidem condens induxerit, ambos
 16 autumat esse deos natura dispare summos.
 17 Quae tandem natura potest consistere duplex
 18 aut regnare diu, quam fons divisus ab arce
 19 separat alternaque apicum dictione recidit ?
 20 Aut unus Deus est, rerum cui summa potestas,
 21 aut, quae jam duo sunt, minuuntur dispare summo.
 22 Porro nihil summum nisi plenis viribus unum,
 23 distantes quoniam, proprium dum quisque revulso
 24 vindicat imperio, nec summa nec omnia possunt.
 25 Jus varium non est plenum, quia non habet alter
 26 quidquid dispar habet ; cumulum discretio carpit.
 27 Nos plenum sine parte Deum testamur et unum,
 28 in quo Christus inest, idem quoque plenus et unus,
 29 qui viget ac viguit super omnia, quique vigebit,
 30 participem nullum conlato foedere passus.
 31 Summa potestatum Pater est, dominatio rerum,
 32 virtutum sublime caput, fons unicus orbis,
 33 naturalis apex, generisque et originis auctor,
 34 ex quo cuncta fluunt, et lux et tempora et anni
 35 et numerus, qui post aliquid dedit esse secundum.
 36 Unus enim princeps numeri est, nec dinumerari
 37 tantum unus potis est. Sic, cum Pater ac deus alter

38 non sit, item Christus non sit genitore secundus,
 39 anterior numero est, cui Filius unicus uni est.
 40 Ille Deus meritoque Deus, quia primus et unus,
 41 in virtute sua primus, tum primus in illo
 42 quem genuit. Quid enim differt generatio simplex ?
 43 Unum semper erit Gignens atque unus ab uno
 44 ante chaos Genitus numeroque et tempore liber.
 45 Quis dixisse duos rem majestate sub una
 46 regnantem propriamque sibi retroque perennem
 47 ausit et unius naturae excindere vires ?
 48 Numquid adoptivum genitor sibi sumpsit, ut alter
 49 externi generis numerum praestare duorum
 50 debeat et geminum distans inducere numen ?
 51 Forma Patris veri verus stat Filius, ac se
 52 unum rite probat, dum formam servat eandem.
 53 Non amor adscitus sociat nec jungit utrumque
 54 conjurata fides, pietas sed certa genusque
 55 unum ; quod Deus est, summam revocatur ad unam.
 56 Haec tibi, Marcion, via displicet, hanc tua damnat
 57 secta fidem, dominis caelum partita duobus.
 58 Quae te confundunt nebulae, quis somnus inertis
 59 incubat ingenio, cui per phantasmata duplex
 60 occurrit species bivio dispersa superno ?
 61 Si vim mentis hebes stupor obsidet, aspice saltem
 62 obvia terrenis oculis elementa, quibus se
 63 res occulta Dei dignata est prodere signis.
 64 Hanc heresim praesaga Patris praeviderat olim
 65 majestas : fore, qui rectorem lucis et orbis
 66 scinderet in partes geminatum segregate regno.
 67 Idcirco specimen posuit spectabile nostris
 68 exemplumque oculis, ne quis duo numina credat
 69 [imperitare vagis mundi per inania formis].
 70 Una per immensam eaeli caveam revolutos
 71 praebet flamma dies, texit sol unicus annum ;
 72 triplex ille tamen nullo discrimine trina
 73 subnixus ratione viget ; splendet, volat, ardet,
 74 motu agitur, fervore cremat, tum lumine fulget.
 75 Sunt tria nempe simul, lux et calor et vegetamen ;
 76 una eademque tamen rota sideris indiscretis
 77 fungitur his ; uno servat tot munera ductu,
 78 et tribus una subest mixtim substantia rebus.
 79 Non conferre Deo velut aequiperabile quidquam
 80 ausim, nec Domino famulum conponere signum.
 81 Ex minimis sed grande suum voluit Pater ipse
 82 conjectare homines, quibus ardua visere non est.
 83 Parvorum speculo non intellecta notamus,
 84 et datur occultum per proxima querere verum.
 85 Nemo duos soles nisi sub glaucomate vidit,
 86 aut si fusca polum suffudit palla serenum,
 87 oppositus quotiens radiorum spicula nimbus
 88 igne repercusso mentitos spargit in orbes.
 89 Sunt animis etiam sua nubila, crassus et aer ;
 90 est glaucoma, aciem quod tegmine velat aquoso,
 91 libera ne tenerum penetreret meditatio caelum
 92 neve Deum rapidis comprendat sensibus unum ;
 93 spargitur in bifidas male sana intentio luces,
 94 et duplices geminis auctoribus extruit aras.
 95 Si duo sunt, igitur cur non sint multa deorum

96 milia ? Cur numero deitas contenta gemello est ?
 97 An non in populos dispersa examina divum
 98 fundere erat melius, mundumque inplere capacem
 99 semideis passim nullo discrimine monstris,
 100 quis fera barbaries perituros mactat honores ?
 101 Dissona discretum retinent si numina caelum,
 102 convenit et nebulis et fontibus et reboanti
 103 oceano et silvis et collibus et speluncis,
 104 fluminibus, ventis, fornacibus atque metallis
 105 adsignare deos proprios, sua cuique jura.
 106 Vel, si gentiles sordet venerarier umbras
 107 et placet esse duos sceptris socialibus aequos,
 108 dic, age, quis terras dicionis sorte retentet,
 109 quis regat aequoreas aeterna lege procellas.
 110 Ede coheredum distinctum jus dominorum !
 111 " Unus ", ais, " tristi residet sublimis in arce,
 112 auctor nequitiae, scelerum deus, asper, iniquus,
 113 qui quodcumque malum vitioso fervet in orbe
 114 sevit, et, anguino medicans nova semina suco,
 115 rerum principium mortis de fomite traxit.
 116 Ipse, opifex mundi, terram, mare, sidera fecit ;
 117 condidit ipse hominem, lutulenta et membra coegit,
 118 effigians quod morbus edat, quod criminе multo
 119 sordeat, informi tumulus quod tabe resolvat.
 120 Ast alii pietatis amor placidumque medendi
 121 ingenium, recreans homines, mortalia servans.
 122 Testamenta duo fluxerunt principe utroque :
 123 tradidit iste novum melior, vetus illud acerbus ".
 124 Haec tua, Marcion, gravis et dialectica vox est ;
 125 immo haec attoniti phrenesis manifesta cerebri.
 126 Novimus esse patrem scelerum ; sed novimus ipsum
 127 haudquaquam tamen esse Deum, quin immo gehennae
 128 mancipium, Stygio qui sit damnandus Averno,
 129 Marcionita deus, tristis, ferus, insidiator,
 130 vertice sublimis, cinctum cui nubibus atris
 131 anguiferum caput et fumo stipatur et igni ;
 132 liventes oculos subfundit felle perusto
 133 invidia inpatiens justorum gaudia ferre.
 134 Hirsutos juba densa umeros errantibus hydris
 135 obtegit et virides adlambunt ora cerastae.
 136 Ipse manu laqueos per lubrica fila reflexos
 137 in nodum revocat, facilique ligamine tortas
 138 innectit pedicas, nervosque in vincula tendit.
 139 Ars olli captare feras, animalia bruta
 140 inretire plagis, retinacula denique caecis
 141 indepensa locis erranti opponere praedae.
 142 Hic ille est venator atrox, qui caede frequenti
 143 incautas animas non cessat plectere, Nebroth,
 144 qui mundum curvis anfractibus et silvosis
 145 horrentem scopulis versuto circuit astu,
 146 fraude alios tectisque dolis innectere adortus,
 147 porro giganteis alios luctando lacertis
 148 frangere, funereo late exercere triumphos.
 149 Improba mors, quid non mortalia pectora cogis ?
 150 Ipse suam (pudet heu !) Contempto principe vitae
 151 perniciem veneratur homo ; colit ipse cruentum
 152 carnificem, gladiisque aciem jugulandus adorat !
 153 In tantum miseris peccati nectare captis

154 dulce mori est ! Tanta in tenebris de peste voluptas !
 155 Qui mala principio genuit, Deus esse putatur,
 156 quique bona infecit vitiis ot candida nigris !
 157 Par furor illorum, quos tradit fama dicatis
 158 consecrasse deas Febrem Scabiemque sacellis.
 159 Inventor viti non est Deus ; angelus illud
 160 degener infami conceptum mente creavit,
 161 qui prius augustum radiabat sidus, et ingens
 162 ex nihilo splendor nutrito ardebat honore.
 163 Ex nihilo nam cuncta retro, faclumque quod usquam est.
 164 At non ex nihilo Deus, et Sapientia vera,
 165 Spiritus et Sanctus, res semper viva nec umquam
 166 copta, sed aerios etiam molita ministros.
 167 Horum de numero quidam pulcherrimus ore,
 168 majestate ferox, nimiis dum viribus auctus
 169 inflatur, dum grande tumens sese altius effert,
 170 ostentatque suos licito jactantius ignes,
 171 persuasit propriis genitum se viribus ex se
 172 materiam sumpsisse sibi qua primitus esse
 173 inciperet, nascique suum sine principe coeptum.
 174 Hinc schola subtacitam meditatur gignere sectam,
 175 quae docet e tenebris subitum micuisse tyrannum,
 176 qui velut aeterna latitans sub nocte retrorsum
 177 vixerit, et tecto semper regnaverit aevo.
 178 Aemulus, ut memorant, opera ad divina repente
 179 corrumpenda caput caligine protulit atra.
 180 Hoc ratio sed nostra negat, cui non licet unam
 181 infirmare fidem, sacro quae tradita libro est.
 182 "Nil", ait, "absque Deo factum, sed cuncta per ipsum."
 183 Cuncta, nec est alius quisquam nisi factus ab ipso.
 184 Sed factus de stirpe bonus, bonitatis in usum
 185 proditus, et primo generis de fonte serenus ;
 186 deterior mox sponte sua, dum decolor illum
 187 inficit invidia stimulisque instigat amaris.
 188 Arsit enim scintilla odii de fomite zeli,
 189 et dolor ingenium subitus conflavit iniquum.
 190 Viderat argillam simulacrum et structile flatu
 191 concaluisse Dei, dominum quoque conditioni
 192 inpositum, natura soli pelagique polique
 193 ut famulans homini locupletem fundere partum
 194 nosset et effusum terreno addicere regi.
 195 Inflavit fermento animi stomachante tumorem
 196 Bestia, deque acidis vim traxit acerba medullis,
 197 Bestia sorde carens, cui tunc sapientia longi
 198 corporis enodem servabat recta juventam ;
 199 complicat ecce novos sinuoso pectore nexus
 200 involvens nitidam spiris torquentibus alvum ;
 201 simplex lingua prius varia micat arte loquendi,
 202 et discissa dolis resonat sermone trisulco.
 203 Hinc natale caput vitiorum, principe ab illo
 204 fluxit origo mali, qui se corrumpere primum,
 205 mox hominem didicit nullo informante magistro.
 206 Ultimus exitium subverso praeside mundus
 207 sortitur, mundique omnis labefacta supellex.
 208 Non aliter quam cum incautum spoliare viantem
 209 forte latro adgressus, praedae prius inmemor, ipsum
 210 ense ferit dominum, pugnae nodumque moramque,
 211 quo pereunte trahat captivos victor amictus,

212 jam non obstanti locuples de corpore praedo,
 213 sic homini subjecta domus, ditissimus orbis
 214 scilicet, in facilem domino peccante ruinam
 215 lapsus, erile malum jam tunc vitiabilis hausit.
 216 Tunc lolium lappasque leves per adultera culta
 217 ferre malignus ager glaebris male pinguibus ausus,
 218 triticeam vacuis segetem violavit avenis ;
 219 tunc etiam innocuo vitulorum sanguine pasci,
 220 jamque jugo edomitos rictu laniare juvencos
 221 occiso pastore truces didicere leones,
 222 nec non et querulis balatibus irritatus
 223 plenas nocte lupus studuit perrumpere caulas.
 224 Omne animal diri callens sollertia furti
 225 inbuit et tortos acuit fallacia sensus.
 226 Quamvis macerries florentes ambiat hortos
 227 saepibus et densis vallentur vitea rura,
 228 aut populator edet gemmantia germina brucus
 229 aut avibus discerpta feris lacerabitur uva.
 230 Quid loquar herbarum fibras medicante veneno
 231 tinctas letiferi fudisse pericula suci ?
 232 Noxius in teneris sapor aestuat ecce frutectis,
 233 cum prius innocuas tulerit natura cicutas,
 234 roscidus et viridem qui vestit flos rhododaphnen
 235 pabula lascivis dederit sincera capellis.
 236 Ipsa quoque oppositum distracto foedere certo
 237 transcendent elementa modum rapiuntque ruuntque
 238 omnia, legirupis quassantia viribus orbem.
 239 Frangunt umbriferos aquilonum proelia lucos,
 240 et cadit inmodicis silva extirpata procellis.
 241 Parte alia violentus aquis torrentibus amnis
 242 transilit objectas, praescripta repagula, ripas,
 243 et vagus eversis late dominatur in agris.
 244 Nec tamen his tantam rabiem nascentibus ipse
 245 conditor instituit, sed laxa licentia rerum
 246 turbavit placidas rupto moderamine leges.
 247 Nec mirum, si membra orbis concussa rotantur,
 248 si vitiis agitata suis mundana laborat
 249 machina, si terras luis incentiva fatigat :
 250 exemplum dat vita hominum, quo cetera peccent,
 251 vita hominum, cui, quidquid agit, vesania et error
 252 suppeditant, ut bella fremant, ut fluxa voluptas
 253 diffluat, inpuro fervescat ut igne libido,
 254 sorbeat ut cumulos nummorum faucibus amplis
 255 gurges avaritiae, finis quam nullus habendi
 256 temperat, aggestis addentem vota talentis.
 257 Auri namque fames parto fit major ab auro.
 258 Inde seges scelerum, radix et sola malorum,
 259 dum scatebras fluviorum omnes et opera metalla
 260 eliquat ornatus solvendi leno pudoris,
 261 dum venas squalentis humi scrutatur inepta
 262 ambitio scalpens naturae occulta latentis,
 263 si quibus in foveis radiantes forte lapillos
 264 rimata inveniat. Nec enim contenta decore
 265 ingenito externam mentitur femina formam ;
 266 ac velut artificis Domini manus imperfectum
 267 os dederit, quod adhuc res exigat aut hyacinthis
 268 pingere sutilibus redimitae frontis in arce,
 269 colla vel ignitis sincera incingere sertis,

270 auribus aut virides gravidis suspendere bacas,
 271 nectitur et nitidis concharum calculus albens
 272 crinibus, aureolisque riget coma texta catenis.
 273 Taedet sacrilegas matrum percurrere curas,
 274 muneribus dotata Dei quae plasmata fuco
 275 inficiunt, ut pigmentis cutis inlita perdat
 276 quod fuerat, falso non agnoscenda colore.
 277 Haec sexus male fortis agit, cui pectore in arto
 278 mens fragilis facili vitiorum fluctuat aestu.
 279 Quid, quod et ipse caput muliebris corporis et rex,
 280 qui regit invalidam propria de carne resectam
 281 particulam, qui vas tenerum dictione gubernat,
 282 solvitur in luxum ? Cernas mollescere cultu
 283 heroas vetulos, opifex quibus aspera membra
 284 finixerat et rigidos duraverat ossibus artus :
 285 sed pudet esse viros ; quaerunt vanissima quaeque
 286 quis niteant, genuina leves ut robora solvant.
 287 Vellere non ovium, sed Eoo ex orbe petitis
 288 ramorum spoliis fluitantes sumere amictus
 289 gaudent, et durum scutulis perfundere corpus.
 290 Additur ars ut fila herbis saturata recocitis
 291 inludant varias distincto stamine formas.
 292 Ut quaeque est lanugo ferae mollissima tactu,
 293 pectitur. Hunc videas lascivas praepete cursu
 294 venantem tunicas, avium quoque versicolorum
 295 indumenta novis texentem plumea telis,
 296 illum pigmentis redolentibus et peregrino
 297 pulvere femineas spargentem turpiter auras.
 298 Omnia luxus habet nostrae vegetamina dita,
 299 sensibus in quinque statuens quae condidit auctor ;
 300 auribus atque oculis, tum naribus atque palato
 301 quaeritur infectus vitiosis artibus usus.
 302 Ipse etiam, toto pollet qui corpore, tactus
 303 palpamen tenerum blandis ex fotibus ambit.
 304 Pro dolor ! Ingenuas naturae occumbere leges,
 305 captivasque trahi regnante libidine dotes !
 306 Perversum jus omne viget, dum, quidquid habendum
 307 omnipotens dederat, studia in contraria vertunt.
 308 Idcircone, rogo, speculatrix pupula molli
 309 subdita palpebrae est, ut turpia semivirorum
 310 membra theatali spectet vertigine ferri
 311 incestans miseros foedo oblectamine visus ?
 312 Aut ideo spirant mediaque ex arce cerebri
 313 demittunt geminas sociata foramina nares,
 314 ut bibat inlecebras male conciliata voluptas,
 315 quas pigmentato meretrix jacit improba crine ?
 316 Num propter lyricae modulamina vana pueriae
 317 nervorumque sonos et convivale calentis
 318 carmen nequitiae patulas Deus addidit aures,
 319 perque cavernosos jussit penetrare meatus
 320 vocis iter ? Numquid madido sapor inditus ori
 321 vivit ob hanc causam, medicata ut fercula pigram
 322 ingluviem vegetamque gulam ganeonis inescent,
 323 per varios gustus instructa ut prandia ducat
 324 in noctem lassetque gravem sua crapula ventrem ?
 325 Quid durum, quid molle foret, quid lene, quid horrens,
 326 quid calidum gelidumve, Deus cognoscere nosmet
 327 ad tactum voluit palpandi interprete sensu ;

328 at nos delicias plumarum et linea texta
 329 sternimus atque cutem fulcro adtenuante polimus.
 330 Felix, qui indultis potuit mediocriter uti
 331 muneribus parcumque modum servare fruendi,
 332 quem locuples mundi species et amoena venustas
 333 et nitidis fallens circumflua copia rebus
 334 non capit ut puerum, nec inepto addicit amori,
 335 qui sub adumbrata dulcedine triste venenum
 336 deprendit latitare boni mendacis operto !
 337 Sed fuit id quondam nobis sanctumque bonumque
 338 principio rerum, Christus cum conderet orbem.
 339 Vedit enim Deus esse bonum, velut ipse Moyses,
 340 historicus mundi nascentis, testificatus :
 341 " Vedit ", ait, " Deus esse bonum, quodcumque creavit. "
 342 Hoc sequar, hoc stabili conceptum mente tenebo,
 343 inspirante Deo quod sanctus vaticinator
 344 prodidit, antiquae recolens primordia lucis,
 345 esse bonum, quidquid Deus et Sapientia fecit.
 346 Conditor ergo boni Pater est, et cum Patre Christus ;
 347 nam Deus atque Deus, Pater est et Filius unum ;
 348 quippe unum natura facit, quae constat utriusque
 349 una voluntatis, juris, virtutis, amoris.
 350 Non tamen idcirco duo numina nec duo rerum
 351 artifices, quoniam generis dissensio nulla est,
 352 atque ideo nulla est operis distantia, nulla
 353 ingenii, peperit bona omnia conditor unus.
 354 Nil luteum de fonte fluit, nec turbidus umor
 355 nascitur, aut primae violatur origine venae.
 356 Sed dum liventes liquor incorruptus harenas
 357 praelambit, putrefacta inter contagia sordet.
 358 Numquid equus, ferrum, taurus, leo, funis, olivum
 359 in se vim sceleris, cum formarentur, habebant ?
 360 Quod jugulatur homo, non ferrum causa furoris,
 361 sed manus est ; nec equum vesania fervida circi
 362 auctorem levitatis habet rabidive fragoris :
 363 mens vulgi rationis inops. Non cursus equorum
 364 perfurit, infami studio perit utile donum.
 365 Sic Lacedaemonicas oleo maduisse palestras
 366 novimus et placidum servire ad crimina sucum.
 367 Inde per aerium pendens audacia funem
 368 ardua securis scandit proscaenia plantis,
 369 inde feras volucri temeraria corpora saltu
 370 transsiliunt mortisque inter discrimina ludunt.
 371 Sanguinis humani spectacula publicus edit
 372 consensus legesque jubent venale parari
 373 supplicium, quo membra hominis discerpta cruentis
 374 morsibus oblectent hilaram de funere plebem.
 375 Mille alia stolidi bacchantia gaudia mundi
 376 percensere piget, quae veri oblita Tonantis
 377 humanum miseris volvunt erroribus aevum.
 378 Nemo animum summi memorem Genitoris in altum
 379 excitat, ad caelum mittit suspiria nemo,
 380 nec recolens apicem solii natalis ad ipsum
 381 respicit Auctorem nec spem super aera librat,
 382 sed mentem gravidis contentam stertere curis
 383 indigno subdit domino perituraque pronus
 384 diligit et curvo quaerit terrestria sensu.
 385 Hoc pulchrum, quod terra parit, quod gloria confert

386 lubrica, commendat quod perniciosa voluptas,
 387 quod velut excitus difflato pulvere ventus
 388 praeterit, exemplo tenuis quod transvolat umbrae.
 389 His aegras animas morborum pestibus urget
 390 Praedo potens, tacitis quem viribus interfusum
 391 corda bibunt hominum ; serit ille medullitus omnes
 392 nequitias, spargitque suos per membra ministros.
 393 Namque illuc numerosa cohors sub principe tali
 394 militat, horrendisque animas circumsedet armis :
 395 Ira, Superstitio, Maeror, Discordia, Luctus,
 396 sanguinis atra Sitis, vini Sitis et Sitis auri,
 397 Livor, Adulterium, Dolus, Obtrectatio, Furtum.
 398 Informes horrent facies habituque minaces :
 399 ambitio ventosa tumet, doctrina superbit,
 400 personat eloquium, nodos fraus abdita nectit.
 401 Inde canina foro latrat facundia toto,
 402 hinc gerit Herculeam vili sapientia clavam.
 403 Ostentatque suos vicatim gymnosophistas ;
 404 incerat lapides fumosos idololatrix
 405 religio et surdis pallens advolvitur aris.
 406 Heu ! Quantis mortale genus premit improbus hostis
 407 armigeris, quanto ferrata satellite ductor
 408 bella gerit, quanta victos dicione triumphat !
 409 Surgit in auxilium Chananeus atque agmina denset,
 410 casside terribilis, saetarum pondera mento
 411 concutiens dextramque gravi cum cuspide quassans ;
 412 ast alia de parte furens exercitus ardet
 413 regis Amorraei, tum milia Gergeseorum
 414 effundunt aciem toto volitantia campo ;
 415 eminus hi feriunt, confligunt comminus illi.
 416 Ecce Zebusiace fervent ad proelia turmae,
 417 aurea tela quibus de sanguine tincta draconis
 418 mortifero splendore micant radiantque necantque.
 419 Nec non terrificas pilis armare catervas
 420 te, Cittae, juvat ; sed gens Ferezea sagittis
 421 insultat virtute pari sed dispare ferro.
 422 Postremum cuneum rex promovet Euvaeorum,
 423 squamosum thoraca gerens de pelle colubri.
 424 His subnixa viris scelerum perversa potestas
 425 edomat invalidas mentes, quae simplicitate
 426 indociles bellique rudes sub foedere falso
 427 tristis amicitiae primum socia agmina credunt,
 428 mammoneamque fidem pacis sub amore sequuntur.
 429 Mox faciles ad vincla rapi juga dura volentes
 430 addictis subeunt cervicibus et nebulonum
 431 spirituum jussis servire ferocibus optant.
 432 Ille, supervacuis augens patrimonia fundis
 433 finitimisque inhians contempto limite agellis,
 434 ducitur innexus manicis et mille catenis
 435 ante triumphales currus post terga revinctus
 436 nec se barbaricis addictum sentit habenis.
 437 Hic qui ventosae scandit fastigia famae
 438 inflaturque cavo pompa popularis honore,
 439 qui sumnum solidumque bonum putat ambitionis
 440 crescere successu, praetonum voce trementes
 441 exanimare reos, miserorum in corpora fasces
 442 frangere, terribiles legum exercere secures,
 443 in laqueum jam colla dedit, jam conpede dura

444 nectitur et pedibus servilia vincula limat.
 445 Credite, captivi mortales, hostica quos jam
 446 damnatos cohibent ergastula, quos famulatu
 447 poenarum virtus non intellecta coerces,
 448 haec illa est Babylon, haec transmigratio nostrae
 449 gentis et horribilis victoria principis Assur,
 450 carmine luctifico quam deflens Jeremias
 451 orbatam propriis ululavit civibus urbem.
 452 Num latet aut dubium est animas de semine Jacob
 453 exilium gentile pati, quas Persica regna
 454 captivas retinent atque in sua foedera cogunt ?
 455 Illic natali desuescunt vivere ritu,
 456 moribus et patriis exutae in barbara jura
 457 degenerant, linguamque novam vestemque sequuntur,
 458 deque profanato discunt sordescere cultu,
 459 nutricemque abolent petulanti e pectore Sion.
 460 Jam patriae meminisse piget, jam mystica frangunt
 461 organa et externi laudant anathemata regni.
 462 Nonne fuit melius saevum Memphitidis aulae
 463 imperium tolerasse patres, penitusque sinistris
 464 adsedisse focus, positos Pharaonis iniqui
 465 sub pedibus, limo et paleis servire paratos,
 466 carnis et immodicæ spurco ructamine crudos ?
 467 Quo tantum auxili per prodigalia signa
 468 effudit Dominus, populum dum forte rebellem
 469 servat ope immerita, vinclis dum subdita colla
 470 solvit et Aegyptum virga serpente coerces ?
 471 Quid juvat aequoreum pelago cedente profundum
 472 pulvrea calcasse via, cum conscientia ponti
 473 saxa sub ignoto patuerunt prodita caelo,
 474 aruit et medio sitiens in gurgite limus,
 475 si victor virtute Dei mediasque tenebras
 476 luce columnari scindens exercitus olim
 477 perdidit inventi vallem botryonis opimam,
 478 si nescit versare solum cui melle perenni
 479 glaeba fluens niveos permiscet lactea rivos,
 480 si domitam Jericon lituis atque aere canoro
 481 rursus in antiquos patitur consurgere muros,
 482 si ripis reflu Jordanis pellitur et jam
 483 deserit adscriptam dimensa in jugera sortem,
 484 denique si structam tantis sudoribus urbem,
 485 et quae nubigenas transcendunt culmina nimbos
 486 defensare nequit, si nescit quis lapis ille est
 487 hostibus obsistens et inexpugnabile turris
 488 praesidium, quem non aerato machina rostro
 489 arietat insiliens nec ferrea verbera quassant ?
 490 Angulus hic portae in capite est, hic continet omnem
 491 saxorum seriem constructaque limina firmat.
 492 Quem qui rite suis per propugnacula muris
 493 noverit insertum, seque ac sua moenia vallo
 494 praecingat triplici, celsa stans eminus arce,
 495 fretus amore petrae, castis et pervigil armis,
 496 non illum regina Tyri, non accola magni
 497 Euphratis Parthus rapiet, non decolor Indus
 498 tempora pinnatis redimitus nigra sagittis.
 499 Quin si fulmineos cogens ad bella gigantas
 500 allophilus tua castra velit delere tyrannus,
 501 tutus eris, nec te firma statione movebit

502 ipse Charon mundi, numen Marcionis, ipse,
 503 qui regit aero vanas sub sole tenebras.
 504 Nam vanum quidquid sol aspicit, ex elementis
 505 cuncta solubilibus fluxoque creamine constant.
 506 Fallo, creaturam nisi doctor apostolus omnem
 507 subjectam vanis non sponte laboribus orsus
 508 perjuro ingemuit miserans servire latroni :
 509 " Errat ", ait, " qui luctamen cum sanguine nobis
 510 et carne et venis ferventibus et vitioso
 511 felle putat, calidisque animam peccare medullis.
 512 Non mentem sua membra premunt, nec terrea virtus
 513 oppugnat sensus liquidos bellove lacescit ;
 514 sed cum spiritibus tenebrosis nocte dieque
 515 congregdimur, quorum dominatibus umidus iste
 516 et pigris densus nebulis obtemperat aer ".
 517 Scilicet hoc medium, caelum inter et infima terrae
 518 quod patet et vacuo nubes suspendit hiatu,
 519 frena potestatum variarum sustinet ac sub
 520 principe Belia rectoribus horret inquis.
 521 His conluctamur praedonibus, ut sacra nobis
 522 oris apostolici testis sententia prodit.
 523 Nemo habitum naturae aut irritamina peccans
 524 corporis accuset ; facile est frenare rebelles
 525 adfectus carnis nimiosque retundere pulsus
 526 materiae fragilis et viscera victa domare.
 527 Quippe animus longe praestantior, utpote summo
 528 aethere demissus ; subjectos si velit artus
 529 imperio quassare gravi jussisque severis
 530 dedere, regnanti domino vis nulla resistit.
 531 Major inest vis illa homini, quae flatile virus
 532 ingerit et tenuem tenui ferit aere mentem.
 533 Parthica non aeque ventos transcurrit harundo,
 534 cuius iter nullus potis est comprehendere visus ;
 535 praeponens enim volucres dum pinnis transvolat auras,
 536 improvisa venit, nec stridor nuntiat ante
 537 adventum leti, quam pectoris abdita rumpat
 538 securam penetrans medicato vulnere vitam.
 539 Sed magis aligera est, magis et medicata sagitta,
 540 quam jacit umbrosi dominatio lubrica mundi,
 541 eludens excussa oculos, calamique volantis
 542 praeponete transcursu cordis penetralia figens.
 543 Nec segnis natura animae est aut tarda cavendi
 544 vulneris, ignitum quoniam Deus indidit olli
 545 ingenium purum, sapiens, subtile, serenum,
 546 mobile, sollicitum, velox, agitabile, acutum,
 547 factorem modo casta suum veneretur et ipsi
 548 militet, ac victimum proculcet sobria mundum,
 549 nil de pestiferis opibus aut falsificatis
 550 terrarum spoliis stulto oblectamine libans,
 551 ne sub fasce jacens, alieno el dedita regno,
 552 non queat argutas hostis vitare sagittas.
 553 Sed quid ego omne malum mundique hominumque maligni
 554 hostis ad invidiam detorqueo, cum mala nostra
 555 ex nostris concreta animis genus et caput et vim,
 556 quid sint, quid valeant, sumant de corde parente ?
 557 Ille quidem fomes nostrorum et causa malorum est,
 558 sed tantum turbare potest aut fallere, quantum
 559 nos volumus, qui decrepito suggesta leoni

560 armamenta damus : friget fera futille frendens,
 561 humani generis ni per suffragia gliscat.
 562 Gignimus omne malum proprio de corpore nostrum,
 563 ut genuit David, alias pater optimus, unum
 564 crimen Abessalon ; taetrum pater ille, sed unum,
 565 innocuas inter suboles genuit patricidam,
 566 ausus in auctorem generis qui stringere ferrum,
 567 a pietas ! Signis contraria signa paternis
 568 egit et unius commisit sanguinis arma.
 569 Nostra itidem diros urente propagine natos
 570 pectora parturiunt, versis qui protinus in nos
 571 morsibus insuescunt gignentum vivere poenis ;
 572 depopulantur enim nimium fecunda parentum
 573 viscera et interitu genitalis stirpis aluntur.
 574 Progeniem verum ille suam rex utpote summus
 575 atque Dei vates pariturae et virginis auctor
 576 tristibus atque piis variaverat, ut Solomonis
 577 frater Abessalon sereret sua crimina justis
 578 pigneribus dulcemque domum turbaret amaris.
 579 Nos dignum Solomone nihil, nos degener inplet
 580 solus Abessalon lacerans pia viscera ferro.
 581 Si licet ex ethicis quidquam praesumere, vel si
 582 de physicis exempli aliquid, sic viperæ, ut aiunt,
 583 dentibus emoritur fusae per viscera proliis,
 584 mater morte sua, non sexu fertilis aut de
 585 concubitu distenta uterus, sed cum calet igni
 586 percita femineo, moriturum obscena maritum
 587 ore sitit patulo, caput inserit ille trilingue
 588 conjugis in fauces, atque oscula fervidus intrat,
 589 insinuans oris coitu genitale venenum.
 590 Nupta voluptatis vi saucia mordicus haustum
 591 frangit amatoris blanda inter foedera guttur,
 592 infusasque bibit caro pereunte salivas.
 593 His pater inlecebris consumitur, at genetricem
 594 clausa necat subolis ; nam postquam semine adulto
 595 incipiunt calidis corpuscula parva latebris
 596 serpere motatumque uterus vibrata ferire,
 597 aestuat interno pietatis crimine mater,
 598 carnificemque gemit, damnati conscientia sexus,
 599 progeniem, saepi rumpentem obstacula partus.
 600 Nam quia nascendi nullus patet exitus, alvus
 601 fetibus in lucem nitentibus excruciant
 602 carpitur, atque viam lacerata per ilia pandit.
 603 Tandem obitu altricis prodit gressus ille dolorum,
 604 ingressum vitae vix eluctatus et ortum
 605 per scelus exsculpens, lambunt natale cadaver
 606 reptantes catuli, proliis dum nascitur orba,
 607 haud experta diem, miserae nisi postuma matris.
 608 Non dispar nostræ conceptus mentis : ab ore
 609 vipereo infusum sic conbabit illa venenum
 610 conjugæ Beliade ; sic oscula devorat haustu
 611 interiusque rapit ; sic felle libidinis ardens
 612 inpletur vitiis perituro mixta marito.
 613 Tunc prægnans letale genus, concepta maligni
 614 fert, opera ingenii de semine complicis hydri,
 615 quem poenis pensare prius sua facta necesse est
 616 corruptae pro stupro animae proque orbe perempto.
 617 Ipsam porro animam crudelia vulnera carpunt

618 mille puerperiis, suboles dum parturit ex se
 619 contra naturam genitas, peccamina crebra
 620 scilicet et pastos materno funere natos.
 621 Hinc illa est Domini justa objurgatio Christi :
 622 " Nonne pater daemon, vos increpo, peccatores,
 623 concubitu carnis semen sipientis iniquum
 624 vos genuit ? " Sanctum, lector, percense volumen :
 625 quod loquor, invenies Dominum dixisse profanis
 626 vera objectantem mortalibus : " Ex Patre nam vos
 627 esse meo genitos pietas, ait, ipsa probaret,
 628 ac pietatis opus. " Pro caeca libido ! Quid hoc est,
 629 quod, cum se thalamis desponsam mens bona justis
 630 noverit, inque torum regis nuptura vocetur,
 631 et regis semper juvenis, senioque repulso
 632 divinum decus aeterno servantis in ore,
 633 malit adulterium, fulvo et se munere vilem
 634 vendat nocticolae spurcis complexibus Indi,
 635 aspernata Dei fusam per virginis artus
 636 progeniem, dulcesque vocans in fornice natos ?
 637 Sentio quam contra moveat pellacia litem,
 638 quo dente obnitens spinosa calumnia pugnet,
 639 nosque lacesito vocet ad luctamina vero.
 640 " Si non vult Deus esse malum, cur non vetat ? " Inquit.
 641 " Nil refert, auctor fuerit factorque malorum,
 642 anne opera in vitium sceleris pulcherrima verti,
 643 cum possit prohibere, sinat ; qui si velit omnes
 644 innocuos agere omnipotens, nec sancta voluntas
 645 degeneret, facto nec se manus inquinet ullo.
 646 Condidit ergo malum Dominus quod spectat ab alto,
 647 et patitur fierique probat, tamquam ipse crearit ;
 648 ipse creavit enim, quod, cum discludere possit,
 649 non abolet longoque sinit grassarier usu. "
 650 Damna aures, Pater alme, meas et claude meatus
 651 obbrutiscentis capitis, ne pervia tales
 652 concipiatur flexura sonos ; est perdere tanti
 653 extinctum vitae officium de parte cerebri,
 654 immunem modo sese anima expertemque nefandi
 655 auditus felix stolida conservet ab aure.
 656 Quis ferat haec injecta Deo convicia, qui se
 657 divinis meminit praecellere nobilitatum
 658 muneribus ? Multa ut taceam, vel sola benignum
 659 res probat esse Deum, vetiti quod amore peremptos
 660 excitat e tumulis homines regnique per aevum
 661 participes jubet esse sui. Qui si foret auctor
 662 servatorque mali, numquam post damna salutis
 663 peccatumque obitus redivivam ferre medellam
 664 vellet, et amissos ope restaurare secunda.
 665 Labi hominis, servare Dei est, meritis perit iste,
 666 ille abolet pereuntis opus meritumque resolvit.
 667 Argumentum ingens Dominum, qui talia praestet,
 668 nolle malum, nec, quod post abluit, ante probare.
 669 - " Invitone aliquis potis est peccare Tonante,
 670 cui facile est in corde hominis componere sensus
 671 quos libeat, fibrasque omnes animare pudicis
 672 pulsibus, et totum venis infundere honestum ? "
 673 - Nescis, stulte, tuae vim libertatis, ab ipso
 674 formatore datam ? Nescis ab origine quanta
 675 sit concessa tibi famulo super orbe potestas

676 et super ingenio proprio laxaeque soluto
 677 jure voluntatis, liceat cui velle sequique
 678 quod placitum, nullique animum subjungere vinclo ?
 679 An, cum te dominum cunctis, quaecumque crearat,
 680 praeficeret, mundumque tuis servire juberet
 681 imperiis, cumque arva, polum, mare, flumina, ventos
 682 dederet, arbitrium de te tibi credere avarus
 683 nollet ut indigno, libertatemque negaret ?
 684 Quale erat, electus magni rex orbis ut esset
 685 non rex ipse sui, curto foedatus honore ?
 686 Nam quis honos domini est, cujus mens libera non est,
 687 una sed inpositae servit sententia legi ?
 688 Quae laus porro hominis vel quod meritum sine certo
 689 inter utramque viam discrimine vivere juste ?
 690 Non fit sponte bonus, cui non est prompta potestas
 691 velle aliud flexosque animi convertere sensus.
 692 Atqui nec bonus est nec conlaudabilis ille,
 693 qui non sponte bonus, quoniam probitate coacta
 694 gloria nulla venit sordetque ingloria virtus ;
 695 nec tamen est virtus, ni, deteriora refutans,
 696 Emicet, et meliore viam petat indole rectam.
 697 " Vade ", ait ipse parens opifexque et conditor Adae,
 698 " vade, homo, adflatu nostri praenobilis oris,
 699 insubjecte, potens rerum arbiter, arbiter idem
 700 et judex mentis propriae, mihi subdere soli
 701 sponte tua, quo sit subjectio et ipsa soluto
 702 libera judicio. Non cogo nec exigo per vim,
 703 sed moneo : injustum fugias, justumque sequaris.
 704 Lux comes est justi, comes est mors horrida iniqui.
 705 Elige rem vitae. Tua virtus temet in aevum
 706 provehat, aeternum tua damnet culpa vicissim,
 707 praestet et alterutram permissa licentia sortem ".
 708 Hac pietate vagus et tanto munere abundans,
 709 transit propositum fas, et letalia prudens
 710 eligit atque volens, magis utile dum sibi credit
 711 quod prohibente Deo persuasit callidus anguis.
 712 Persuasit certe hortatu, non inpullit acri
 713 imperio : hoc mulier rea criminis exprobranti
 714 respondit Domino : suadellis se male fabris
 715 inlectam suasisse viro ; vir et ipse libenter
 716 consensit. Licuitne hortantem spernere recti
 717 libertate animi ? Licuit ; namque et Deus ante
 718 suaserat ut meliora volens sequeretur ; at ille,
 719 spernens consilium, saevo plus credidit hosti.
 720 Nunc inter vitae dominum mortisque magistrum
 721 consistit medius : vocat hinc Deus, inde tyrannus,
 722 ambiguum atque suis se motibus alternantem.
 723 Accipe gestarum monumenta insignia rerum,
 724 praelusit quibus historia spectabile signum.
 725 Loth, fugiens Sodomis ardentibus, omnia secum
 726 pignora cara domus properabat, sede relicta,
 727 nubibus urbicremis subducere, sulphure cum jam
 728 nimbo ignitus caelum subtexeret aer,
 729 flagrantemque diem crepitans incenderet imber.
 730 Angelus hanc hospes legem praescripserat ollis,
 731 emissus virtute Dei sub imagine dupla,
 732 omnis ut e portis iret domus, utque in apertum
 733 dirigeret constans oculos, nec pone reflexo

734 lumine regnantes per moenia cerneret ignes :
 735 " Nemo, memor Sodomae, quae mundi forma cremandi est,
 736 ut semel e muris gressum promoverit, ore
 737 post tergum verso respectet funera rerum ! "
 738 Loth monitis sapiens obtemperat, at levis uxor
 739 mobilitate animi torsit muliebre retrorsus
 740 ingenium Sodomisque suis revocabilis haesit.
 741 Traxerat Eva virum dirae ad consortia culpae ;
 742 haec peccans sibi sola perit : solidata metallo
 743 diriguit fragili, saxumque liquabile facta
 744 stat mulier, sicut steterat prius, omnia servans,
 745 caute sigillati longum salis effigiata,
 746 et decus et cultum frontemque oculosque comamque
 747 et flexam in tergum faciem paulumque relata
 748 menta retro, antiquae monumenta rigentia noxae.
 749 Liquitur illa quidem salsis sudoribus uda,
 750 sed nulla ex fluido plenae dispendia formae
 751 sentit deliquio. Quantumque armenta saporum
 752 attenuant saxum, tantum lambentibus umor
 753 sufficit attritamque cutem per damna reformat.
 754 Hoc meruit titulo peccatrix femina sisti,
 755 infirmum fluidumque animum per lubrica solvens
 756 consilia, et fragilis jussa ad caelestia. Voti
 757 propositum contra non commutabile servat
 758 Loth ingressus iter, nec moenia respicit alto
 759 in cinerem conlapsa rogo, populumque perustum,
 760 et mores populi, tabularia, jura forumque,
 761 balnea, propolas, meritoria, templa, theatra,
 762 et circum cum plebe sua, madidasque popinas.
 763 Quidquid agunt homines Sodomorum incendia justis
 764 ignibus involvunt, et Christo judice damnant.
 765 Haec fugisse semel satis est, non respicit ultra
 766 Loth noster, fragilis sed conjunx respicit, et, quae
 767 fugerat, inverso mutabilis ore revisit
 768 atque inter patrias perstat durata favillas.
 769 En tibi signatum libertatis documentum,
 770 quo voluit nos scire Deus, quodcumque sequendum est
 771 sub nostra dicione situm, passimque remissum
 772 alterutram calcare viam. Duo cedere jussi
 773 de Sodomis : alter se proripit, altera mussat,
 774 ille gradum celerat fugiens, contra illa renutat ;
 775 liber utriusque animus, sed dispar utriusque voluntas.
 776 Dividit huc illuc rapiens sua quemque libido.
 777 Talem multa sacris speciem notat orbita libris :
 778 aspice Ruth gentis Moabitidis et simul Orphan.
 779 Illa socrum Noomin fido comitatur amore,
 780 deserit haec ; atquin thalamis et lege jugali
 781 exutae Hebraeisque toris sacrisque vacantes,
 782 jure fruebantur proprio ; sed pristinus Orphae
 783 fanorum ritus praeputia barbara suasit
 784 malle et semiferi stirpem nutrire Goliae.
 785 Ruth, dum per stipulas agresti amburitur aestu,
 786 fulcra Booz meruit castoque adscita cubili
 787 Christigenam fecunda domum, Davitica regna,
 788 edidit atque Deo mortales miscuit ortus.
 789 Saepe egomet memini fratres geminos ad hiulcum
 790 pervenisse simul bivium nutante juventa,
 791 et dubitasse diu bifido sub tramite, quodnam

792 esset iter melius, cum dextrum spinea silva
 793 sentibus artaret, scopulosaque semita longe
 794 duceret aerium clivoso margine callem ;
 795 at laevum nemus umbriferum per amoena virecta
 796 ditibus ornaret pomis, et lene jacentem
 797 planities daret ampla viam ; squalentibus unum
 798 contentum spinis reptasse per ardua saxa,
 799 porro alium campo sese indulsisse sinistro ;
 800 illum sideribus caput inmiscere propinquis,
 801 hunc in caenosas subito cecidisse paludes.
 802 Omnibus una subest natura, sed exitus omnes
 803 non unus peragit placitorum segregae forma.
 804 Haud secus, ac si olim per sudum lactea forte
 805 lapsa columbarum nubis descendat in arvum
 806 ruris frugiferi, laqueos ubi callidus auceps
 807 praetendit, lentoque inlevit vimina visco,
 808 sparsit et insidias siliquis vel farre doloso :
 809 inliciunt alias fallentia grana, gulamque
 810 innectunt avidam tortae retinacula saetae,
 811 molle vel implicitas gluten circumligat alas ;
 812 ast aliae, quas nullus amor prolectat edendi,
 813 gressibus innocuis sterili spatiantur in herba,
 814 suspectamque cavent oculos convertere ad escam.
 815 Mox ubi jam caelo revolandum, pars petit aetram
 816 libera sidereum plaudens super aera pinnis,
 817 pars captiva jacet, laceris et saucia plumis
 818 pugnat humi et volucres nequiquam suspicit auras.
 819 Sic animas caeli de fontibus unicoloras
 820 infundit natura solo, sed suavibus istic
 821 devinctae inlecebris retinentur, et aethera paucae
 822 condescendunt reduces ; multas viscosus inescat
 823 pastus, et ad superas percurrere non sinit auras.
 824 Praescius inde Pater liventia tartara plumbo
 825 incendit liquido, piceasque bitumine fossas
 826 infernalis aquae furvo subfodit Averno,
 827 et Phlegetonteo sub gurgite sanxit edaces
 828 perpetuis scelerum poenis inolescere vermes.
 829 Norat enim flatu ex proprio vegetamen inesse
 830 corporibus nostris, animamque ex ore perenni
 831 formatam non posse mori, non posse vicissim
 832 pollutam vitiis rursum ad convexa reverti,
 833 mersandam penitus puteo ferventis abyssi.
 834 Vermibus et flammis et discruciatibus aevum
 835 immortale dedit, senio ne poena periret,
 836 non pereunte anima : carpunt tormenta foventque
 837 materiem sine fine datam, mors deserit ipsa
 838 aeternos gemitus, et flentes vivere cogit.
 839 At diversa procul regionibus in paradisi
 840 praemia constituit majestas gnara futuri
 841 spiritibus puris et ab omni labe remotis,
 842 quique Gomorreas non respexere ruinas,
 843 aversis sed rite oculis post terga tenebras
 844 liquerunt, miseri properanda pericula mundi.
 845 Ac primum facili referuntur ad astra volatu,
 846 unde fluens anima structum vegetaverat Adam ;
 847 nam quia naturam tenuem declivia vitae
 848 pondera non reprimunt, nec tardat ferrea conpes,
 849 concretum celeri relegens secat aera lapsu,

850 exsuperatque polum fervens scintilla remensum,
 851 carcereos exosa situs quibus haeserat exul ;
 852 tunc postliminio redeuntem suscipit alto
 853 cana Fides gremio, tenerisque oblectat alumnam
 854 deliciis, multos post divorsoria carnis
 855 ore renarrantem querulo, quos passa, labores.
 856 Illic, purpureo latus exorrecta cubili,
 857 floribus aeternis spirantes libat odores,
 858 ambrosiumque bibit roseo de stramine rorem ;
 859 ditibus, et longo fumantibus intervallo,
 860 fluminaque et totos caeli sitientibus imbris,
 861 inplorata negat digitum insertare palato,
 862 flammarumque apices umenti extinguere tactu.
 863 Nec mirere locis longe distantibus inter
 864 damnatas justasque animas concurrere visus
 865 conspicuos, meritasque vices per magna notari
 866 intervalla, polus medio quae dividit orbe.
 867 Errat, quisque animas nostrorum fine oculorum
 868 aestimat, involuit vitreo quos lucida palla
 869 obice, quis speculum concreta coagula texunt
 870 inpediuntque vagas obducto umore fenestrar.
 871 Numne animarum oculis denso vegetamine guttae
 872 volvuntur teretes, aut palpebralibus extra
 873 horrescunt saetis ciliove umbrante teguntur ?
 874 Illis viva acies, nec pupula parva, sed ignis
 875 trajector nebulae vasti et penetrator operti est.
 876 Nil ferrugineum solidumve tuentibus obstat ;
 877 nocturnae cedunt nebulae, nigrantia cedunt
 878 nubila, praetenti cedit teres area mundi ;
 879 nec tantum aerios visu transmittit hiatus
 880 spiritus, oppositos sed transit lumine montes,
 881 Oceani fines atque ultima litora Thylae
 882 transadigit, volucresque oculos in tartara mittit.
 883 Nostris nempe omnes pereunt sub nocte colores
 884 visibus, et caeco delentur tempore formae.
 885 Numquid et exuti membris ac viscere perdunt
 886 agnitione notas rerum vel gressibus errant ?
 887 Expertus dubitas animas percurrere visu
 888 abdita corporeis oculis, cum saepe quietis
 889 rore soporatis cernat mens viva remotos
 890 distantesque locos, aciem per rura, per astra,
 891 per maria intendens ? Nec enim se segregat ipsa
 892 ante obitum vivis ex artibus, aut fugit exul
 893 sanguinis et carnis penetralia, seque medullis
 894 exuit, abductamve abigit de pectore vitam :
 895 viscerea sed sede manens speculatur acutis
 896 omnia luminibus, et, qua circumtulit acrem
 897 naturae levis intuitum, nullo obice rerum
 898 disclusa, ante oculos subjectum prospicit orbem,
 899 atque, orbis sub mole situm, sordens elementum.
 900 Objacet interea tellus nec nisibus obstat.
 901 Quin si stelligerum vultus convertat ad axem,
 902 nil intercurrens obtutibus inpedit ignem
 903 pervigilis animae, quamvis denseta graventur
 904 nubila et opposito nigrescat vellere caelum.
 905 Sic arcana videt tacitis cooperta futuris
 906 corporeus Johannis adhuc nec carne solutus.
 907 Munere sed somni paulisper carne sequestra.

908 Liber ad intuitum. Sensuque oculisque peragrans
 909 ordine dispositos venturis solibus annos.
 910 Procinctum videt angelicum jam jamque cremandi
 911 orbis in excidium, raukos et percipit aure
 912 mugitus gravium mundi sub fine tubarum.
 913 Haec ille ante obitum membrorum carcere saeptus
 914 secedente anima, non discedente videbat.
 915 Nonne magis flatus sine corpore cuncta notabit
 916 corporis involucris tumulo frigente repostis ?
 917 Certa fides rapidos subterna nocte caminos,
 918 qui pollutam animam per saecula longa perenni
 919 igne coquunt, oculis longum per inane remoti
 920 pauperis expositos, nec setius aurea dona
 921 justorum dirimente chao rutilasque coronas
 922 eminus ostendi poenarum carcere mersis,
 923 Hinc paradisicolae post ulcera dira beato
 924 proditur infelix ululans in peste reatus
 925 spiritus, inque vicem meritorum mutua cernunt.
 926 Una animas semper facies habet et color unus
 927 aeris, ut cuique est meritorum summa, sinistri
 928 seu dextri ; alternas nec commutabile tempus
 929 convertit variatque vices ; longum atque perenne est,
 930 quidquid id est ; unus voluit sua saecula cursus.
 931 O Dee cunctiparens, animae dator, o Dee Christe,
 932 cujus ab ore Deus subsistit Spiritus unus,
 933 te moderante regor, te vitam principe divo,
 934 judice te pallens trepido, te judice eodem
 935 spem capio fore quidquid ago veniable apud te,
 936 quamlibet indignum venia faciamque loquarque.
 937 Confiteor (dimitte libens et parce fatenti !)
 938 Omne malum merui ; sed tu, bonus arbiter, aufer
 939 quod merui ; meliora favens largire precanti.
 940 Dona animae quandoque meae, cum corporis hujus
 941 liquevit hospitium nervis, cute, sanguine, felle,
 942 ossibus exstructum, corrupta quod incola luxu
 943 heu ! Nimium complexa foyet, cum flebilis hora
 944 clauserit hos orbes et conclamata jacebit
 945 materies oculisque suis mens nuda fruetur,
 946 ne cernat truculentum aliquem de gente latronum
 947 inmitem, rabidum, vultuque et voce minaci
 948 terribilem, qui me maculosum aspergine morum
 949 in praeceps ut praedo trahat, nigrisque ruentem
 950 inmerget specubus, cuncta exacturus adusque
 951 quadrantem minimum damnosae debita vitae !
 952 Multa in thensauro Patris est habitatio, Christe,
 953 disparibus discreta locis. Non posco beata
 954 in regione domum ; sint illic casta virorum
 955 agmina, pulvereum quae dignantia censum
 956 divitias petiere tuas ; sit flore perenni
 957 candida virginitas animum castrata recisum ;
 958 at mihi tartarei satis est si nulla ministri
 959 occurrat facies, avidae nec flamma gehennae
 960 devoret hanc animam mersam fornacibus imis.
 961 Esto, cavernoso, quia sic pro labe necesse est
 962 corporea, tristis me sorbeat ignis Averno ;
 963 saltem mitificos incendia lenta vapores
 964 exhalent, aestuque calor languente tepescat ;
 965 lux immensa alios et tempora vincita coronis

966 *glorificant, me poena levis clementer adurat.*